Weichert.

SACRA NATALITIA

SEREN. DUCIS SAXON. GOTH. ALTENB.

AEMILII LEOPOLDI AUGUSTI

IN

ILL. GYMNASIO FRIDERICIANO ALTENB.

A. D. IX. CAL. DECEMBR. POST HORAM IX MATUT.

PIE CELEBRANDA

INDICIT

AUGUSTUS MATTHIAE

D. PHIL. SEREN. DUCI GOTH. A CONSILIIS ECCLES. ET SCHOL. DIRECTOR GYMN.

De carmine Theocriteo XXIX.

ALTENBURGI,

E TYPOGRAPHEO AULICO.

15

Instat dies, quem cum civibus omnibus, tum sibi faustissimum pie celebrare consuevit Gymnasium Fridericianum, natalis Principis Serenissimi atque Indulgentissimi, AUGUSTI. Hunc cras celebraturi *Vos*, Amplissimi reipublicae urbisque Proceres, Gymnasii Curatores atque Inspectores Gravissimi, et reliqui litterarum fautores ac patroni, ut frequentes adsitis et orationes a quatuor adolescentibus habendas, qua soletis humanitate, audire velitis, observantissime rogamus. Verba autem facient:

Iohannes Godofredus Guilielmus Pansa, Altkircha-Altenburgensis, qui *laudes Senecae philosophi* celebrabit *oratione Latina;*

Christianus Philippus Schnuphase, natus Soemmerdae in agro Erfordiensi, qui, *quibus causis effectum sit, ut tanto, quanto nullus fere alius populus, patriae amore flagrarent Graeci et Romani*, ostendere conabitur *oratione Germanica;*

Carolus Christophorus Ernestus Wolf, Altenburgensis, qui *laudem conscientiae recti* persequetur carmine Latino;

Iohannes Augustus Ferdinandus Fuchs, Altenburgensis, qui *pacis, libertatis praesidio munitae, felicitatem* praedicabit carmine Germanico.

Proluſionis loco ſubiiciamus pauca de carmine inter Theocritea XXIX. quod inſcribitur παιδικά. De eo acutiſſime diſputavit Vir doctiſſimus, *Frid. Thierſch* in diſſertatione, qua ſpecimen editionis Sympoſii Platonis dedit Gottingae MDCCCIIX. p. 25 ſqq. Is, quum primum §. 3. 4. oſtendere conatus eſſet, carmen illud non recte adſcribi Theocrito, quia et in antiquis editionibus ac nonnullis Codd. MSS. deſideretur, et dialecto aeolica, non dorica Theocriti, ſcriptum ſit, *res* vero ſit *nullius apud Graecos exempli, ut quis poëta patrium ſermonem nullo aut uſu aut neceſſitate coactus damnet et dialectum ſequatur peregrinam, ſuisque civibus nec uſu cognitam nec intellectu facilem;* deinde §. 5. 6. 7. ſi carmen non ſit Theocriti, nulli alii commodius tribui poſſe, quam Alcaeo, poetae antiquiſſimo lyrico, tum propter dialectum et inſcriptionem in Cod. Vaticano, Αἰολικὰ παιδικά, tum quod Alcaeus iis etiam, quae de puerorum amore ſcripſit, inclaruerit, tum quod in hoc carmine ea ſit virtus poetica et color orationis, qui et ex veterum criticorum iudiciis et ex imitationibus Horatii Alcaeo proprius fuiſſe videatur; tandem e ſcholio in Platonis ſympoſium p. 51. οἶνος καὶ ἀλήθεια, ἐπὶ τῶν ἐν μέθῃ τὴν ἀλήθειαν λεγόντων. Ἔστι δὲ ἄσματος Ἀλκαιόυ ἀρχή· οἶνος, ὦ φίλε παῖ, καὶ ἀλήθεια. καὶ Θεόκριτος, ex hoc igitur ſcholio, cuius auctor quin ad huius ipſius carminis initium reſpexerit, dubitari non poteſt, planum facit, hoc carmen Alcaei opus habendum, et Scholiaſtae auctoritate illi auctori eſſe vindicandum. His argumentis Thierſchius ſententiam ſuam probavit idoneis iudicibus, Boeckhio in *Muſeum der Alterthumswiſſenſchaft* II, 2. p. 175. et Heindorfio ad Horat. Serm. p. 103. Idem iam antea ſuſpicatum eſſe Wehnertum, e notatione Schaeferi ad Gregor. Cor. p. 586. didici. Ego vero pro Theocrito

quidem carminis auctore non pugno; quamquam, quod de usu dialecti peregrinae dixit Vir Cl. de antiquioribus poetis graecis ante Alexandri aetatem verum esse videtur, de Alexandrinis non videtur, siquidem etiam inter Callimachi hymnos, Ionica seu verius epica dialecto scriptos, hymnus in lavacrum Palladis Doricam habet. Alcaeo autem tribuendum esse carmen, pluribus de causis non adducor, ut credam. *Primum* enim dialectum Aeolicam, qua Alcaeus usus est, si quis eius poëtae fragmenta vel pauca illa, quae in Ursini et Stephani collectionibus leguntur, diligenter perlustraverit, longe plura a Dorismo recedentia habuisse, quam in hoc carmine occurrunt, intelliget. Nam quid inest in hoc carmine dialecto Aeolicae proprium, nisi nonnullae verborum formae, quas Grammatici Aeolibus tribuunt, ut ὄρπετον pro ἕρπετον v. 13. (quamquam ab ε in ο mutanda ne Dores quidem abstinuisse docet Koen. ad Gregor. Cor. p. 280, 23) ὔμοιον v. 20. στύματος et πεδέρχομαι pro μετέρχομαι v. 25, πέδα pro μετά v. 38? Nam ἆς pro ἕως v. 20. non tam Aeolum est, quam Doriensium; vid. Koen. ad Greg. Cor. p. 81. τύ pro σύ et pro σέ enclitico v. 25. etiam Doricum est; vid. Toup. Add. ad Theocr. I, 5. (qui tamen in eo fallitur, quod τέ pro σέ usurpatum negat) Apollon. Bekk. p. 328. et tantum abest, ut ῥέθος pro πρόσωπον v. 16. vox sit mere Aeolica, ut ea etiam Tragici usi sint, ut Soph. Antig. 529. Eurip. Herc. f. 1207. ubi vid. Barnes. Non rectius igitur dici poterit hoc carmen dialecto aeolica scriptum esse, quam cantica lyrica in atticorum poëtarum fabulis dorica; eodem etiam iure carmen 28 inter Theocritea Aeolicum dici possit cum annotatore Vimariensi quem p. 28. laudat Thierschius: in quo praeter formas aeolicas, ut v. 3. ὐμάρτη pro ὁμάρτει in apogr. Ald. (fortasse etiam βόλλεσθαι pro βούλεσθαι, ὀππάζειν pro ὀπάζειν Aeolum magis quam Doriensium propria sunt, vid. Greg. Cor. p. 286.) reperitur etiam vox mere Aeolica, βράκη pro ῥάκη v. 11. *) v. Gregor. Cor. p. 270. ed. Koen. p. 310. IX. p. 328. I.

*) Metrum etiam ex eo genere est, quod Alcaeus imprimis frequentavit, et ex quo est etiam Horatianum illud: *Nullam, Vare, sacra vite prius severis*

Contra litterae Aeolicae f. digammi, qua, ut poëtas Aeolicos omnes, sic Alcaeum usum esse omnes consentiunt, ne vestigium quidem in carm. 29. reperitur. *Deinde* vix mihi quidem verosimile est, Alcaei, in cuius carminibus emendandis Aristophanem et Aristarchum elaborasse accepimus (v. Villoison. Prol. ad Hom. p. LIX. Schol. Aristoph. Plut. v. 253. et Hemsterh. ad h. l.) carmen aliquod ad Theocritum, aequalem fere illorum grammaticorum poetam, referri potuisse; tum multa quidem seriorum et poetarum et aliorum scriptorum opera antiquioribus tributa esse constat, antiquioris vel antiquissimi adeo carminis seriori poetae assignati ne unum quidem exemplum ex tota antiquitate afferre quisquam possit. His argumentis Scholiastae Platonis auctoritas non mediocriter labefactatur; magis vero etiam infringitur scholio ad Lycophron. 212. *ὅτι οἱ οἰνωθέντες τὰ τοῦ λογισμοῦ ἀπόῤῥητα ἐκφαίνουσιν· ὅθεν καὶ Ἀλκαῖος φησίν· οἶνος γὰρ ἀνθρώποις διόπτρον.* Quamvis enim haec duo loca non ita inter se pugnent, ut alterutrum falsum esse necesse sit; — potuit enim Alcaeus bis eamdem sententiam diversis verbis enuntiare — tamen, quum scholion ad Platonem tot aliis incommodis laboret, ut auctorem eius errasse vix negari possit, ex hoc ad Lycophronem scholio causa simul erroris

---

arborem, conversum ex illo Alcaei: *μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω*. Idem metrum habet fragm. Alcaei ap. Aristot. Polit. III, 10. (p. 125 ed. Schn.) — — *τὸν κακοπάτριδα || Πιττακόν πόλεως τᾶς ἀχόλω καὶ βαρυδαίμονος Ἐστάσαντο τύραννον μέγ᾽ ἐπαινεῦντες ἀολλέες* (cf. Plut. T. IV. p. 61. ed. Wyttenb.) et fragm. ap. Schol. Arist. Av. 1410. *Ὄρνιθες τίνες οἵδ᾽; ὠκεανῶ γὰρ ἀπὸ πειράτων || Ἦλθον πανvέλοπες ποικιλόδειροι τανυσίπτεροι·* et quae leguntur apud Athen X, p. 430. A. XI, 481. A. Simile est metrum fragm.

∪
ap. Athen. XIV. p. 627. cuius hi numeri esse videntur: – – | – ∪ ∪ – |

∪ ∪
∪ – – – | – ∪ ∪ – | ∪ – – – | ∪ – ubi v. 4. leg. *ἕρκος ἰσχύρω βέλευς* et versu ult. *τῶν οὐκ ἔστι λαθέσθ᾽, ἐπειδὴ πρῶτον ὑπὸ ἔργον (ὑπὸ ϝ- εργον) ἔσταμεν τόδε*. Talis versus particula posterior est etiam ap. Eustath. p. 705, 61. Schol. Ven. ad Il. *θ*᾽, 178. *βληχρῶν ἀνέμων ἀχείμαντοι πνοαί*. . . | . . . . . | . . . – |
– ∪ ∪ – | ∪ – – – | ∪ –

cognoſcitur, et Scholiaſtam Platonis duo loca eiusdem ſententiae confudiſſe, et Alcaeo tribuiſſe, quod Theocriti eſſet, intelligitur. Fortaſſe tamen haec non eſt Scholiaſtae culpa, ſed eius, qui hoc ſcholion deſcripſit, et locus ille ſic ſcribendus eſt: *ἔστι δὲ ᾄσματος Ἀλκαιόν ἀρχή· * * καὶ Θεόκριτος· οἶνος, ὦ φίλε παῖ, καὶ ἀλήθεια*, ita ut verſus Alcaei *οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δίοπτρον* cum duobus praecedentibus omiſſus lacunam reliquerit. Eſt enim verſus ille tertius in ſyſtemate Alcaico ⏓ – ⏑ – | ⏒ – ⏑ – ut ille, *τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον*, et *λαῖφος δὲ πᾶν ἄδηλον ἤδη* quos cum reliquis ſervavit Heraclides Ponticus *περὶ ἀλληγ. Ὁμ.* p. 13 ed. Schow.

Altenburgi a. d. X. Cal. Dec. 1815.